

## II.

# REGNUM MORTUORUM.

Nro. 58.

---

### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

*Elysium-Meum, Die Martis, 21. Aug. 1810. (Nro. 31, Julii, 1810.)*

---

Frivola haec fortassis, et brevia nimis videbuntur, sed tamen honesta Curiositas ea non respuit.

*Flav. Vopis.*

Erit, qui carpere volet: de gravibus argumentis breves admodum Dissertationes in medium produci; at oportet meminisse: his amplam rumiandi materiem perspicacium virorum Curiositati suppeditari.

### *Colloquentes Umbrae:*

*Danus. — Svecus.*

**D***anus.* Si me opinio non fallit: existimo moesta Umbra! nos Commetaneos esse — nonne Svecus?

*Svec.* Recta ex comitatu advenio, quo hæreditarius Princeps noster in adventu suo ad has oras exceptus est — lugubris pro patria mea spes! Finnia amissa! domi inquis, — & Regnum! — *sede vacante intuitu successione.*

*Dan.* Prospectus, fateor, non amoent sane, verum quid si ex vicinis populares fieremus? — si Dania & Svecia Unione in uno Imperante conjungeretur? —

*Svec.* Argumenti meministi; quod grandia consecraris secum ferre posset, raro evenit, ut vacans in Statu aliquo solum efficiatur; quare expende, sis, animo: quot praetendentes, quot Cointeressati, quot Candidati, quam multæ externa politica animatæ factiones in hoc negotio Scenam ingressuræ sint? —

*Dan.* Mihi quidem jam ad dirimendam quæstionem præviæ præparaciones factæ videntur. — Jam ad finem publicæ opiniones disponuntur, jam rationibus instruuntur, jam ad certum Decretum & sententiam proniores redduntur. —

*Svec.* Ais ne certa parari decreta? id profecto res nova foret!

*Dan.* Memineris: in cæteris Principem Oldenburg. insontem prioris Regis filium juvenem Principem, Regem Daniæ, Regem meum, & aliorum fide alios illustres Principes factionem unam separatam condidisse; jam vero duo publice edita scripta in Dania alterum, alterum in Svecia — publice & palam veneunt, publice leguntur, & ceu prævii penetrantes animos adparatus haberi censer que possent. — Optimi argumenti est dissertatio Danico idiomate elaborata sub titulo. „An unio septentrionis optanda? — auctore *Grundstøig* — hæc dissertatio, ita loquitur publica Daniæ Ephemeris, admodum incompleta est, quod auctor opusculi fateatur, emolumenta & Commoda ex Unione Daniæ cum Svecia redundantia perspicaciam

aciemque mentis eam transcendere. —

*Svec.* Quid quaeso Svecica ait dissertatio?

*Dan.* Editæ in Svecia sub titulo: *ad Scandinavios* dissertatio tam in Svecia, quam Dania in linguam Danicam traducta magna cum curiositate legitur, auctor votum edit pro Unione borealis Regni, & luculenta mentique pervia emolumenta profert in medium, quæ ex eo promanatura essent; porro expressis innuit verbis, quasi Jure quodam ad id instructus: potentissimum Imperantem, qui Continentis Politicam moderatur, nullam huic Unioni obicem oppositurum.

*Svec.* Et quæ portendit, amabo, ex hac Unione in Sveciam emolumenta?

*Dan.* Equidem fateor opusculum ipse nondum legi, unum duntaxat per umbram nuper ad has oras allatum, in aliorum, qui id cupite arripere, versatur manibus — verum ea cuius præsentia adjuncta politica Boreæ curatius expendenti facile illucet. — Mihi aliqua saltem secundum meam opinionem isthic in medium adferre lubet; constat primum: Sveciæ amissa Fiania totam orientalem territorii lineam a Nylandia Tornæam usque seu Lapponiam Russico cingit limite. Hujus jactura prope tertiam virium suarum partem sibi ademptam luget. — Unione Daniæ tanto fieret amplior & potentior. Adversus tam validum & enormem vicinum, qualis Russia est, vires sufficienter concentrari nequeunt — & hoc primum. — 2) Erat quidem tempus, quo maritimi Status,

præcipue Hollandia & Anglia id genus Unionem impedire, eique intercedere connisi, quod admittere nolent, ut Baltica minora freta, & Sundicum uni eidemque subit Imperanti; quippe bene ordinatum regimen ingressu Maris Balthici facile eos prohiberetur fuisset. — Ast, cum Hollandia hodie Gallia incorporata, Angliaque in Continentem actionem amplius nullam exerat, Unionis negotium facili opere in effectum deduci perficique potest; Gallia obesse nequit, cum Gallia in Casum id genus prohibitionis suarum navium, Daniam in Holsatica ditione, & Penninsula Jutia exercitu terrestri ad amicam Politicam facile permovere, & adoriri valeat

3) Occupatione Finniæ Russia Oræ maritimæ in Mari Balthico possessionem enormiter extendit, proin dominatum suum in eo magis, quam Svecia aut Dania in eo oras possidet, dilatavit. — Per Unionem oræ inter Russiam & unita regna æquali fere ratione obtinentur, quod sane momentosum est —

4) Svecia ad vitæ subsidia acquirenda plurimas fruges ab exteris oris percipere debet, si nove cum Russia bello implicata fuerit, atque in eadem, qua superioribus annis cum Dania ratione fuerit, tum ad miserandam se alendi conditionem, & tristes deveniet angustias; per hanc unionem metus hio snapte cessat — cum per patriam territoriumque suum Daniam cuncta vitæ tolerandæ subsidia habere sibi que procurare possit. 5) Penninsula Scandinaviæ natura sua destinata est

ad retinendam Unionem, proin Norvegia Sveoique uni parendum domui, omnesque conferendas vires habet immani vicino saltem ad certum tempus & usque continendum, quo extera Statuum auxilia, Politica vis, operaque aliorum succurrere, discrimen avertere, sua intercessione propulsare, aliaque securitati faventi ratione derimere possunt. Etenim in Geographia, in dimensione Geometrica virium, & situ physico palpabiliter illucens veritas est: Scandinaviam non alia, quam exterarum Politica actioneque aularum independentiam securitatemque suam custodiendo & retinendo parem esse. —

*Svec.* Ut igitur vel momento mora necesse evanescationi indulgeri potest, in tanta argumentorum & emolumentorum luce?

*Dan.* Festina lente — Comititia multa expendenda, multis factionibus deferendum habebunt. Accedit nova animadversio: suspicio Suam Majestatem Carolum XIII. occasione novæ electionis sui successoris naquam a delecto semel a se veteris surculo stirpis recessurum, plene confirmata est. — Per Adjutorem defuncti Coronæ hæredis Sveciæ D. Pro Tribunum ab Hoist, regnanti Duci Augustenburgico, fratri defuncti Coronæ Principis annunciatum: se futuris Comititiis a Sua Maj. Svecorum Rege Statibus proponendum pro solii hæredo, & ut fama fert, serenitas sua celerem Cursorem ad Suam Maj. Regem Daniæ communicandarum propositionum Causa expeditiv.

(Regnans Dux Augustenburgicus *Frid. Christianus* natus est 28. Sept. 1755 & 1785 desponsatus 27. Maji cum Principe *Ludovica Augusta* sorore hodie regnantis Regis Daniæ nata 7. Julii 1771. proles ex hoc matrimonio sunt: 1) *Carolina Amalia* nata die 28. Junii 1796. *Christianus Carolus Frid. Augustus* natus 19. Julii 1798. & *Frid. Augustus* die 23. Aug. 1800.

*Svec.* Rex Sveciæ adoptatis rationibus fidus manere velle videtur, — at an aliæ Potentiæ præsertim Gallia & Russia ejus consiliis non intercedent, eisque suæ status rationi admensam directionem non indent?

*Dan.* Res profecto singularis! medio, quo hæc negotia in Svecia agitantur, emeritus Rex *Gustavus Adolphus* sub nomine *Gustavi Adolphi* Comitis a *Gottorp* confestim ex *Helvetia* discessit — adpulit is die 25. h. Augustam *Vindelicorum* profectusque *Norimbergam* versus, quo tendit hoc iter? an fortassis ope exterarum aularum aut suapte opera aliam hodiernis Sveciæ adjunctis directionem indendi consilia fovet? —

*Svec.* Ut adjuncta porcedunt, patria mea diu adhuc politicis agitanda videtur motibus, exterorum actio inevitabilis est. —

*Dan.* Veni, sis, sub viridi fronde hic paullo conquiescamus. —

*Augustus.*

Princeps *Nossoviensis* *Wilhelmus* cum Imperatore & Imperio adversus Galliam foedere junctus omnem dedit operam, Germani-

oas copias adcurato tempore loco & statione habendi — verum eæ continuis vicibus mense primùm Augusto comparuere. — Eo tempore quævis diplomatica negotia latino pertractanti idiomate mos erat, Wilhelmus moræ pertæus cum Imperatoris copias Augusto primùm Mense advenisse comperisset, jam ait: experientia doctus sum Imperatorem nomen & omen habere, atque de Jure semper *Augustum* adpellari, quoniam ejus copix semper mense *Augusto* adpellunt. —

*Vopiscus* (Flavius) scriptor latinus haud obscurus, patria Syracusis Siciliae percelebri oppido — vixit ætate Diocletiani & Constantii Chlorig circa annum Christi 304.

Concessit Roman, ibique Biographiæ Imperatorum: *Aureliani*, *Taciti* &c. scribendæ vacabat, in quibus *Apollonio* Impetori *Tyanæo* eximiam laudem impertitur.

### *Politicae Episodæ.*

Vigore Ediçti Regii Borussiae de 19. Julii ad conservationem efficaciorẽ Continentalis Systematis ex tempore desinops omnes Americanæ naves absque discrimine portibus excludendæ sunt.

Decreto de 14. Julii Casselæ præceptum & promulgatum est: Göttingæ secundum Planum Architecti Universitatis D. Bothek novar

speculam Astronomicam erigendam esse. —  
Ex parte bellici Ministerii publico annuncia-  
tum est: Calendis Octob. l. a. per destina-  
tum ad hoc munus Professore Matheseos &  
eoram Geo. Directore Rei tormentariæ Tea-  
tamen recipiendorum ad scholam tormenta-  
riæ rei alumnorum instituendam esse.

Rex *Georgius III.* de lugubri adgressione  
vitæ dilecti filii sui D. Cumberlandiæ eadem  
adhuc tragici eventus nocte certior redditus  
est. Tulit ille hoc terrificum nuncium forti  
animo. Cum Princeps Valliæ 8 hora matu-  
tina ad patrem properaret, eum familiam-  
que Regiam de iis, quæ accidere, certiores  
redditurus, rex intrepido animo eum allocutus  
his verbis „animo dilecte filii! scio nobilem tui  
maturi adeo ad me aditus causam” tum mutua  
consilia miscere, ut regina & principes virgi-  
nes delicata maxime ratione de tragico even-  
tu edocere possint.

*Georgius Frid. Aug.* natus 12. Aug. 1762  
Princeps Valliæ & C. Chestriæ, Elector Brunsv.  
Luneburg. Eques Ord. Perisc. Coer. ejus  
Uxor: *Carolina Amalia Elis.* filia D. Brunsv.  
Quelphert. nata 17. Maji 1768 ex qua: filia:  
*Carolina Aug.* nata 7. Jan. 1796. *Ernest. Aug.*  
D. Cumberlandiæ natus 5. Jun. 1771. —